

Σὺν τῷ Θεῷ τριθελτίσω καὶ μαγίσω,

DISPUTATIO THEOLOGICA  
SOLEMNIS;  
D &

SPIRITU SANCTO,  
ET ÆTERNA EIUS DIVI-  
NITATE AC PROCESSIONE; NEC  
NON OFFICIO ATQ; DONIS;

QUAM

Deo T. O. M. Providente,

Ad MANDATUM

SERENISSIMI POTENTISSIMIq; REGIS  
SVECORUM &c. &c.

CAROLI UNDECIMI.  
Domini atq; REGIS nostri Clementissimi;

*In Regiâ Academiâ Aboënsi,*

Pro LICENTIA adeundi GRADUM, ac

Summos in Facultate Theologicâ honores, proponit

M· ENEVALDUS SVENONIUS,  
Q. Gyldenh. Al. S. S. Theol. Prof. ordinarius.

R E S P O N D E N T E

DN. JOHANNE GEORGII ALANO,  
Theol. Studioso.

*Ad diem 31. Maii, Anni Θεοφορias 1661. In Audit.*

*Maximo, horis ante 5 pomeridianas.*

A B O Æ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

DEO UNI-TRINO,  
P A T R I , F I L I O J E S U  
C H R I S T O , E T S P I R I -  
T U I S A N C T O ,

Qui ab æterno E R A T , E S T , E R I T q ; , b e n e -  
d i c t u s i n s e c u l a !

M E O  
C R E A T O R I , R E D E M P T O R I ,  
A D V O C A T O ,

*Primitias sacraram frugum , omnesq ; meditatio-  
nes meas Theologicas , ex humiliatissi-  
mi cordis thesauro affero , offero atq ;  
dedico*

E . S . Q . G . A .

In Nomine S.S. ac summè laudandæ Trini-  
tatis. Patris, Filij ac Spiritus S. & i

DISPUTATIONIS  
DEO SPIRITU SANCTO,  
T H E S I S I.



Agnus Alexandrinæ Ecclesiæ E-  
piscopus B. Athanasius, & famâ defens-  
sa Fidei Catholicæ de ÆTERNA DI-  
VINITATE, CUM FILII DEI,  
contra Arianos; TUM SPIRITUS  
SANCTI, contra πνευματομάχους; & gloria Marty-  
rij celeberrimus scriptor, initio sui Symboli ad Ecclesi-  
am hæc loquitur, ab incerto interprete latino redditâ  
verba: *Quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est ut te-  
neat catholicam fidem: quam nisi quisq; integrum inviolatam-  
quæ servaverit, absq; dubio in æternum peribit.* Fides autem  
Catholica hac est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem  
in unitate veneremur: neq; confundentes personas, neq; sub-  
stantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij,  
alia Spiritus Sancti: sed Patris & Filij & Spiritus Sancti una  
est Divinitas, aequalis gloria & coæterna Majestas: qualis Pa-  
ter, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, in-  
creatus Filius, increatus Spiritus Sanctus &c. Scilicet actum  
esse de notitiâ salutis & cognitione reliquorum articu-  
lorum fidei, probè beatus pater sibi conscient, nisi ortho-  
doxa sententia, ac intemperatæ veritatis opinio de sum-  
mo Mysterio, Deo Trinuno, & Divinitatis personis te-  
neatur perspicue.

II. Fundamentum hujus assertionis, monstrat Salva-

A tor

tot ipse, Ioh. 17: 3. *Hec est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: quo & Prodigio nō non excludit.* 1. *Spiritum Sanctum, a. quia vera est Regula à B. D. Martino Luthero de ult verbis Davidis posita: Ubiq; in Scripturā Legis Deum loqui de Deo, tanquam personam de personā; ibi tūtō affirmes significari tres personas Divinitatis.* Duabus enim nominatis, simul significatur persona Spiritus Sancti loquentis in scripturā. Hanc Regulam laudatus Lutherus Tom. VIII. Jen. Germ. pag. mihi 163, von den letzten worten Davids sic explicat: *Vnd zwar/ wer so viel verstehet in der Schrift/ (welchs nicht ein jeder achtet) das er mercken kan/ wo die person eine von der ander redet/ als weren mehr denn eine da/ der hat halde erschent die vnterscheid/ welchs des Vaters/ oder des Sons person ist; Hastu aber die vnterscheid des Vaters vnd des Sons/ so ist des Heiligen Geists Person/ gleich auch vnterschiedlich mit da.* Proinde si Spiritu S:o impulsi locuti sunt sancti Dei homines (ψιλοί) 2 Pet. 1: 21. Et sermō e-  
jus sonuerit per lingvam eorum 2. Sam. 23. 2; isq; locutus sit per prophetas, ut extat in Symbolo Niceno; quantō magis Christi Ιεραπότε sermoni adfuerit, qui unctus est Sp. Sancto præ consortibus & sine mensurā Psal. 45: 8. Ioh. 3: 34. Heb. 1: 8. 9. *B. quia vera quoq; est Regula B. D. Martini Chemnitij in L. C. Part. I. de tribus personis Divin. p. mihi in 8.º 99:* *Quando Divinitas opponitur Idolis, vel Creaturis; tunc una persona nominata non excludit reliquas ab ομοσοις divinitatis; nec duas nominatae excludunt tertiam.* Sed exclusiva denominatio ex-  
cludie

eludit tantum idola & creaturas quibus opponitur, ut  
notat *Cyrillus*.

III. Ratio rationis est, quod cum Divinitas intra se-  
se describitur, tunc Christus disertè rejicit exclusivam,  
E.G. Ioh. 8: 16. *Etsi* judicavero *Et* ego, *judicium meum verum est;*  
*quia* solus non sum, sed ego, *Et* qui misit me Pater. v. 28, *A* me  
*ipso* facio nihil, sed sicut docuit me pater, ista loquor. v. 29:  
*Et* qui misit me mecum est, *Et* non relinquit me solum, Pater.  
c. 16: 32, *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Manifestum ergò est exclusivam supra allegatam, excludere  
tantum idola & creaturas, quibus è diametro opponitur,  
non verò coordinatas personas in divinitate reliquas.  
Ergò cum Joh. 17: 3. dicitur Pater (*πατέρας ἀληθινὸς θεός*)  
*Solus* verus Deus, non excluditur Filius, quia i. Joh. 5: 20  
dicitur: *Filius est verus Deus.* quod ipsum vox *ἀληθινὸς*  
ter repetita, indeq; de Trinitatis mysterio haud obscu-  
rè testata infert. Et Ioh. 16: 15, omnia quæcumq; habet Pa-  
ter mea sunt. *Et* Math. 11: 27, *Nemo* novit Patrem nisi Filius,  
*Et* nemo novit Filium nisi Pater; ubi tamen non exclu-  
ditur Spiritus S. Quia i. Cor. 2: 11 dicitur: *Quæ Dei sunt*  
*nemo* novit, nisi Spiritus Dei. Et sicut apud Paulum non  
excluditur Filius: ita nec apud Matthæum excluditur  
Spiritus S. Sic Apoc. 19. 12, *Filius* habet nomen quod nen o  
novit, nisi ipse: manifestum est non excludi Patrem vel  
Spiritum S. sed creaturas. Conf. *Augustin contra Maximimum*.

IV. Neq; excludit 2. Notitiam reliquorum articulo-  
rum Fidei, cum primis fundamentalium: nam novisse  
Christum (*qui est via, veritas et vita* Ioh. 14: 6, & centrum  
ambitus totius Scripturæ S. Act. 10. 43 Luc. 24: 47. 48.  
Act. 1: 8.) nemo ritè potest, nisi verbum ejus cognove-  
rit, quod quoq; est veritas Joh. 17: 17, *ὁ λόγος ὁ εός,*  
*ἀληθινός* est. Si quis autem solverit unum præceptorum horum

minimorum, & docuerit sec homines, minimas vocabitur in  
Regno cœlorum, Math. 5: 19.

V. Tantum de necessitate cognoscendi Deum Trin-  
uum præfatus, totam Ἑλλαστικὴν de Spiritu Sancto, ejus-  
demq; Notitiam sequenti methodo, divinâ ope, tracta-  
re decrevi, ut agerem breviter de ejus I. DEFINITIO-  
NE. II. ÆTERNA DIVINITATE. III. PERSO-  
NALI PROPRIETATE. IV. OFFICIO, & V. DONIS.

VI. I. DEFINITIO est vel Nominis vel Rei. Illa  
vulgò est triplex I. Derivativa, juxta quam vox He-  
bræa Ruach est à R. Roach spirare, vel Ravach respira-  
vit; vox Græca πνεῦμα ἀπὸ τοῦ πνεύματος; Latina etiam à  
spirando derivatur. Ratio appellationis hujus videtur  
ab ipso Christo exposita esse Joh. 3: 8; sicut enim exha-  
lationes, quæ venti appellantur, substantiæ tamen subtili-  
les sunt, ut aciem oculorum eludent; vis tamen & effi-  
cacia eorum valde magna esse, alijs organis sentitur, in-  
deq; cognoscitur: ita Spiritus S. sensibus non perecipi-  
tur quidem; sed è potentia operationis intelligitur &  
agnoscitur. II. Æquivocativa, juxta quam vox Spiritus  
πνεῦμα @ est, & usurpatur I. De Deo & divinis o-  
perationibus. Si Essentiam Dei notat, accidit id tripliciter,  
a. Tribus Divinitatū personis est communis, Joh. 4:24  
Deus est spiritus. Conf. Esa. 31: 3. β. Notat divinitatem  
Filij, Rom. 1: 4, Christus est demonstratus Filius Dei, in vir-  
tute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mor-  
tuorum, quamvis intelligi hoc etiam possit de Sp. Sancto,  
qui per verbum Christum glorificat, docente B. Gerhar-  
do, in L. de Sp. S. pag. mibi 146. I. Pet. 3: 18, Christus  
mortificatus carne, vivificatus autem spiritu. γ. Notat ter-  
tiam Divinitatis personam, ut in formâ baptismi Math.  
28: 19, de quâ nunc agitur. De divinis operationibus accepta  
signi-

Significat  $\alpha.$  *Irans Dei*, Job. 4: 9. *Esa.* 4: 4.  $\epsilon.$  29: 10.  
 $\beta.$  *Pœnas divinas*, Ps. 55: 9. *Ezech.* 13: 13.  $\gamma.$  *Opera gratia & dona sancti Sp.* *Ezech.* 11: 19. *Math.* 26: 41. *Ela.* 11:  
2. 1. *Cor.* 12: 4. 4. *Reg.* 2: 9. *Num.* 11: 17. 2. *De Angelis*,  
idq; vel notando eorum *Essentiam*, & quidem vel in  
genere *Ps.* 104: 4. *A&t.* 23: 8. vel in *specie*  $\alpha.$  *Bonorum*,  
*Heb.* 1: 14.  $\beta.$  *Malorum*, qui dicuntur  $\alpha.$  *Spiritus i. Reg.*  
22: 21. *Math.* 8: 16.  $\beta.$  *Spiritus Dei* i. *Sam.* 16: 23.  $\gamma.$  *Spiritus mali*, *Judic.* 9: 23. *Luc.* 7: 21.  $\delta.$  *Spiritus impuri*  
*Math.* 10: 1. *Zach.* 13: 2.  $\epsilon.$  *Mendacij* i. *Reg.* 22: 22.  $\varsigma.$  *Mu-*  
*tus Mar.* 9: 17.  $\zeta.$  *Ægreditudinis* *Luc.* 13: 11.  $\eta.$  *Fornicatio-*  
*nis Osc.* 4: 12.  $\vartheta.$  *Vertiginis* *Esa.* 19: 14.  $\iota.$  *Pythonis* *A&t.*  
16: 16. vel *Opera*. 3. *De Hominibus*, denotatq;  $\alpha.$  *Eos qui im-*  
*pulsu alicuius spiritus loquuntur*, i. *Tim.* 4: 1. 1. *Job.* 4: 1.  $\beta.$   
*Animam hominis*, *Ps.* 31: 6. *Eccles.* 3: 21. *Luc.* 8: 55.  $\gamma.$   
*Animæ regeneratae & renovatae facultatem* *Luc.* 1: 47.  
 $\delta.$  *Vitam & respirationem* *Job.* 10: 12. *Jac.* 2: 26.  $\epsilon.$  *Spi-*  
*ritus animales* *Gen.* 45: 27.  $\varsigma.$  *Motus cordis* i. *Paral.* 5: 26.  
*Ps.* 51: 12. 4. *De Irrationalibus*, notatq;  $\alpha.$  *Animas viventi-*  
*um*, *Gen.* 6: 17.  $\beta.$  *Ventum*, *Gen.* 8: 1. *Exod.* 15: 10.  $\gamma.$   
*Quamvis vim agitantem* *Ezech.* 1: 20. *Hic quæri po-*  
*test obiter, unde dignosci possit, quando vox Spiritus*  
*in Scripturâ sumatur pro tertiatâ Divin. personâ?*  $\beta.$  i.  
*Ex contextu & circumstanti occasione id facile pio*  
*lectori innoteſcere.* 2. *Didymus* lib. i. de Sp. S. versus  
à *Hieronymo* dicit: *Apostolos*, quando intelligi volunt  
personam Spiritus S:ti, vel addere epitheton  $\alpha\gamma\tau\omega$ : vel  
addere articulum  $\tau\delta\pi\tau\omega\mu\alpha$ . *Verum hoc non esse perpe-*  
*tuum observant orthodoxi, ideoq;* 3. *Ubiq; talia de*  
*Spiritu Dei prædicantur, quæ personæ ejus non con-*  
*veniunt, & in divinam naturam minimè quadrant, de*  
*donis ea, seu effectis Spiritus S. in hominibus sunt in-*

telligēda. E. G. Joh. 7: 39 *Spiritus S. non dum erat*, quia Jesus non dum erat glorificatus: *Non dum esse*, nequam competit personæ Sp. S. quippe qui est aeternus Heb. 9: 14. & fuit in prophetis 1. Pet. 1: 11.

VII. 3. *Equipollens & Synonymica*, juxta quam varia sortitur nomina & Epitheta tertia hæc divinitatis persona: appellatur enim 1. *Spiritus*, Math. 4: 1. verum ratio hujus impositionis est 1. Quia Spiritus S. est verus Deus, ut postea probatum dabo, jam vero Deus est Spiritus Joh. 4: 24. 2. Quia personalis sp. si proprietas hæc est, quod à Patre & Filio in arcano illo mysterio divinitatis, ineffabili modo, ab aeterno spiratur Ps. 33: 6. Esa. 11: 4. 2. Thes. 2: 8. 3. Quia spirituales motus in cordibus piorum accedit, Act. 2: 2. 4. Quia potentia Sp. S. in Regeneratione hominis est miraculosa, & quovis vento naturali immare quantum actuosior! Joh. 3: 8 prima ratio respicit Sp. S. essentiam, altera characterem personæ, tertia operationem, ultima modum agendi. 2. *Spiritus Sanctus*, Joh. 20: 22. & per plurimis scripture locis, idq; a. quia est ipsa sanctitas: Deus enim est sanctus Lev. 11: 44. b. quia sanctitate differt à spiritibus immundis. 2. Est author & fons omnis sanctitatis; quippe sic canit ecclesia: Absq; ejus Numine, nil boni est in homine, nihil est innoxium. *Inst.* Sed hæc ratione & Pater posset appellari *Spiritus Sanctus & Filius*; quippe Deus est *Spiritus*, Deus est *santus*? R. Verbis S. Bernh. Serm. 3. in Fest. pentec. *Spiritus S.* quasi *specialiter* *Spiritus* dicitur, quod ab utroq; procedat firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis, tanquam propriæ sanctus, quod sit donum Patris & Filij, omnem sanctificans creaturam, quamvis Pater quoq; & *Spiritus & Sanctus*; iterumq; *Filius & Spiritus & Sanctus* sit. 3. *Advocatus* Joan. 14: 16. *Aristea*,

2. Cor. 1: 22. c. 5: 5. Eph. 1: 14. *Unctio*, i. Joh. 2: 27. **A&C.**  
10: 38. *Aqua viva*, Esa. 44: 3. Joan. 4: 14. c. 7: 38. *Flatus*,  
**A&C.** 2: 2. *Lingua ignis*, **A&C.** 2: 3. *Digitus Dei*, Math. 12:28.  
4. *Spiritus Dei*, Gen. 1: 2. Job. 33: 4. Math. 3: 16. Rom. 8:  
9. 1 Cor. 2: 11. *Spiritus Iehovae seu Domini*, Esa. 61: 1. c. 63:  
14. Luc. 4: 18. **A&C.** 8: 39. *Spiritus Patris*, Matth. 10: 20.  
Rom. 8: 11. *Spiritus Christi & Filii*, Rom. 8: 9. Gal. 4: 6,  
Phil. 1: 19. 1. Pet. 1. II. *Spiritus oris & labiorum ejus* Ps. 33:  
6. Esa. 11: 4. 2. Thes. 2: 8. *Spiritus bonus*, Neh. 9: 20. Psal.  
143: 10. *Spiritus rectus* Ps. 51: 12. *Spiritus spontaneus* v. 14. *Spi-*  
*ritus aeternus*, Heb. 9: 14. *Spiritus veritatis* Joh. 14: 17. 1.  
Joh. 4: 6. *Spiritus vita*, Rom. 8: 2. Joan. 6: 63. *Spiritus*  
*mansuetudinis*, 1. Cor. 4: 21. Gal. 6: 1. *Spiritus Fidei*, 2 Cor.  
4: 13. *Spiritus prophetiae*, Apoc. 19: 10. *Spiritus sapientia &*  
*revelationis* Eph. 1: 17. *Spiritus sapientia & intellectus*, *Spiri-*  
*tus consilij & fortitudinis*: *Spiritus scientiae & timoris Domini*  
Esa. 11: 2. 3. *Spiritus precum* Zach. 12: 10. *Spiritus adoptionis*  
Rom. 8: 15. *Spiritus promissionis* Eph. 1: 13. *Spiritus gratiae*  
Zach. 12: 10. Heb. 10: 29. *Spiritus dilectionis & sobrietatis*, 2.  
Tim. 1: 7. *Nota*: Sap. 7: 22. 23. *inter alia*, hæc etiam e  
numerantur Sp. S. epitheta: quod sit *unicus*, *multiplex*  
( μονογενὴς, ὀνυματικὸς ) *subtilis*, *modestus*, *discretus*, *incon-*  
*taminatus*, *certus*, *suavis*, *amans bonum*, *acutus*, *qui nihil*  
*vetat benefacere*, *benignus*, *stabilis*, *securus*, *omnem habens*  
*virtutem*, *omnia prospiciens*.

VIII. II. *Definitio Rei hæc est: Spiritus San-*  
*ctus est tertia persona Divinitatis, ejusdem*  
*cum Patre atq; Filio essentiæ & potentiaæ, ab*  
*utroq; & realiter distincta, & modo prorsus*  
*ineffabili nobisq; incognito, in æternitate pro-*

*cedens;*

cedens; Mittitur etiam à Patre per Filium, ut  
doceat Ecclesiam, eamq; sanctificet, soletur  
ac salvet.

IX. a. Quod Spiritus S. sit *Tertia Sacrosancta Trinitatis persona*, probatur i. Supponendo è Revelatio-  
ne divinâ, tres esse tantum personas Trinitatis, non plus  
tres, nec pauciores. Fiat jam argumentatio: quæ per-  
sona ex tribus, nec prima nec secunda est, eam oportet  
esse tertiam. At Spiritus S. ex tribus nec prima,  
nec secunda est E. minor p. persona aliunde procedens  
non potest esse prima. Spiritus S. est procedens aliunde  
persona E. Deinde, Persona tantum procedens & non  
etiam producens, non posset esse inter tres personas se-  
cunda. Sp. S. est persona procedens tantum, & non etiam  
aliam producens. E. Non est persona Trinitatis secunda.  
Erit E. Tertia. 2. Quia talis ordo inter personas tum  
in formulâ baptismi à Christo est sanctus, tum postea  
in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano traditus,  
ut Pater sit persona prima: Filius secunda: Spiritus S.  
tertia. Consequens ergò fuerit, rāξη istam oriri vel  
ex inæqualitate essentiae, vel ex personali origine. prius  
osset blasphemum, & *Arianismum* in Ecclesiam revo-  
caret. Posterius igitur ratum erit, nempè ordinem i-  
stum ex personali origine existere, qui est, ut Pater per-  
sona sit in S. divinitate prima, quia à nullo: Filius se-  
cunda, quia à solo Patre: Spiritus S. tertia, quia ab u-  
troq; est, nec tempore, nec natura, nec dignitate reli-  
quis inferior, sed originis ratione tertia. Proindeq;  
ordo iste nec divinitati, nec perfectioni, nec æternitati  
spiritus sancti quidquam derogat. Breviter: dicitur  
persona Trin. tertia, non quod vel divinâ gloriâ & M:te  
inferior

inferior sit Patre & Filio, vel ijsdem tempore posteriore; sed quia respectu characteris hypostatici, & ratione productionis, ordine tertiam Trinitatis constituit *τριάσασιν*.

X. *B.* Spiritum S:<sup>m</sup> esse non ventum sive halitum aliquem, aut creatam agitationem; sed Personam *ἀνθρώπων*, in ipsa Divinitatis *εστί* subsistentem, vel ex eo constat, quod S. Literarum oracula passim ei quæ sunt personæ propria, tribuunt. Cujus generis sunt, *Intelligentia, omniscientia, Sap. 7: 22. 1. Cor. 2: 10. Voluntaria donorum distributio, 1. Cor. 12: 11. Munus docendi & suggerendi omnem veritatem, Jch. 14: 26. c. 26: 13.* Cum primum id probat illustris illa revelatio Divinitatis facta in baptismo Christi, quæ clarissimè tres personas *τριης θεοτητος* discernit, Matth. 3: 16. 17. ubi *Pater* voce è nubibus prolatâ, *Filius* baptizatus in Jordane; *Spiritus S.* autem in specie columbae se revelavit. Suffragatur huic dogmati Formula baptismi nostri, Matth. 28: 19. Confirmat idem apparitio facta in festo primo Pentecostes N. T. ubi *Spiritus S.* ut persona à coeteris verè distincta visibiliter in specie lingvarum ignearum conspectus fuit, Act. 2: 3. Et Christus Salvator noster hoc ipsum nos luculentè docturus, se Paracletum ALIUM (quippè à se & patre distinctam *τριάσασιν*) promittit missurum, Joan. 14: 16. c. 15: 26. Quô respicit scriptura, quoties *Neutro* (*τρευματι ἀγένων*) statim relativum *Masculinum* subjicit, ut Joh. 14: 26, *Pater in nomine meo mittet vobis πνεῦμα τὸ ἄγιον: ἐκεῖνος (non ἐκέντο) docebit vos omnia.* Et Eph. 1: 13. 14, *Obligati estis πνεῦματι ἄγιον, ὃς (non ὁ) εἰν αἴγαθοβῶν.* Ut taceam quod Spiritus S. vocetur D O M I N U S 2. Cor. 3: 17. Ferebatur super aquas Gen. 1: 2. Erat Duxor & gubernator populi in deserto,

Esa. 63: 14. Paulus clare discernit Sp. Sancti personam  
a donis creatis, ceu Autorem ab effectibus. 1. Cor. 12:  
4. seqq. 2. Cor. 3: 6. Rom. 8: 5. seqq.

XI. II. DIVINITAS Spiritus S:ti, quod scilicet sic  
y. Deo ὁμοίστι. Ejusdemq; cum Patre & Filio essentia &  
potentia, ex iisdem pene firmamentis, quibus Filii Dei Di-  
vinitas adstrui solet, stabiliri potest. De Divinitate  
Patris autem nunquam fuit dubitatum. Sunt autem  
illa probationum momenta 4. 1. *Divina Nomina*. 2. *Di-  
vina attributa*. 3. *Divina opera*. 4. *Divinus Cultus*.

XII. I. Nomen τεραγάμματον Iehovah, soli Deo  
proprium Spiritui Sancto tribui ac competere, demon-  
strari potest a. ē T. V. Qui per prophetas locutus est,  
dicitur & est verus Iehovah, Exod. 4: 12. Num. 12: 6. 2.  
Sam. 23: 3. 1. Reg. 18: 12. Ps. 85: 9. Esa. 1: 2. At Spiritus S. per Prophetas locutus est, 2. Sam. 23: 2. Zach. 7: 12. E. Sp. Sanctus est verus Jehovah. Neinde: qui Isra-  
elitas duxit per desertum est verus Deus & Iehovah,  
Deut. 32: 12. At Spiritus S. duxit Israelitas per deser-  
tum, Esa. 63: 11. E. Sp. S. est verus Deus & Jehovah.  
Porro, verus Deus seu Iehovah ab Israelitis in deser-  
to est tentatus & exacerbatus Num. 14: 26. 27. Deut. 6: 16. c. 9: 7. Ps. 78: 17 & 18. At Sp. S. ab Israelitis in de-  
serto est tentatus & exacerbatus Esa. 63: 10. E. Deniq; Esa. 6: 3, Spiritui S. accinente, simul nomen Iehovah  
in suo τριπλασίῳ tribuunt duo Seraphim. q. Ex N. T.  
plurima produci testimonia possunt, in quibus nomen  
Dei ac Domini, τριπλασίον, (quod nomini Iehovah in V.  
T. responderet) diserte Spiritui S. assignatur. Postquam  
obiter produxero, etiam ex hoc Test. dicta, quae per pro-  
phetas fuisse locutum Spiritum S. affirmant, ut Luc. 1:  
40. Act. 1: 16. Eph. 3: 5. 1. Pet. 1: 11. 2. Pet. 1: 21. Heb. 3:

7 & 8. Ubi Spiritui S. adscribitur gravissima illa exhibe-  
tatio : Hodie si vocem ejus audieritis &c. quæ Iehovæ tri-  
buitur Ps. 95:6. 7. 8. Heb. 10: 15, ubi Spiritus S. idem ille  
Iehovah esse statuitur, qui Jer. 31: 31. fœdus novum pro-  
mittit. Act. 28: 25 &c. Unde rectè in Concilio Constan-  
tinopolitano additam esse Nicæno Symbolo hanc clausu-  
lam videmus : Quod Spiritus S. locutus sit per prophe-  
tas. Dico : Credentes sunt ex Deo nati, Joh. 1: 13. Creden-  
tes sunt ex Spiritu nati Joh. 3: 6. E. Qui ex Spiritu nati  
sunt, ex Deo nati sunt. Urget hoc Cyrillus L. 7. Dial. de  
Trin. Conf. Act. 13: 4. & c. 16: 6, ubi Spiritus S. prohibet  
Apostolos prædicandi exercitio in Asia: cum i. Cor. 4: 19. ve-  
niā ad vos brevi, si Dominus voluerit. Quinimò, hæc  
nomina extant Spiritui S. to adscripta : i. Cor. 3: 16. c.  
6: 19. 20. c. 12: 5. 6. 11 & 28. Maxime autem conspi-  
cuus est locus Act. 5: 3 & 5. Unde argumentor firmissi-  
mâ consequentiâ : Cui mentitus est Ananias, est Deus, v.  
5. Spiritui S. to mentitus est Ananias, v. 3. E. Spiritus S. est  
Deus. In specie verò de Sp. Sancti cum Patre & Filio ò-  
p̄ositor loquitur Apostolus Joh. 1. Ep. c. 5: 7: Tres sunt  
qui testimonium dant in calo, Pater, Verbum & Spiritus S.  
& hi tres unum sunt.

XIII. II. Attributa Dei essentialia, & divina i&d#1000;  
natura soli Deo propria, Spiritui S. passim in Scripturis  
adjudicantur, utpote 1. Simplicitas summa, quæ est Spir-  
ituualitatis, ut ita loquar, eminentissimæ consequens, &  
manifestatur ex eo, quod in singulorum piorum cordi-  
bus habitat Spiritus S. nec tamen dividitur; sed est &  
manet unus Spiritus, Eph. 4: 4. Sicubi verò scriptura vi-  
detur innuere eundem divisibilem esse, ut Num. 11: 17.  
2. Reg. 2: 9. diversa ejusdem Χαριτούρα intelliguntur,  
3. Aeternitas, Heb. 9: 14. Gen. 1: 2. ubi per Spiritum Elo.

him, non solum Targumim & Rabbini, Spiritum oris De-  
mini intelligunt; sed & patres, præter Hieron. Ambros.  
aliqd; Augustinus Lib. conf. 13 c. 5, Quærebam, ait, in Elo-  
quijis Sanctis tuis, & ecce Spiritus tuus superferebatur super  
agrus: ecce Trinitas Deus meus, Pater & Filius & Spir-  
itus S. creator universæ creatura. Et ipse B. Luth. in h. l.  
inquit: Der wind ist dozumal noch nicht gewesen / dar-  
umb muß es den H. Geist deuten. Quod verò Joh. 7:  
39, Sp. Sanctus non dum fuisse dicatur, cum Christus  
non dum esset glorificatus? 12. Johannes ipse c. 1: 32,  
dicit Spiritum S. visum esse in specie columbæ, ergo lo-  
cus allegatus de persona Sp. S. non potest intelligi, sed  
donis. 3. Immortalitas, æternitatis consequens, Sap. 12:1,  
& πολὺς ὁ θεός μαρτυρεῖ εἰς τὰς οὐρανούς. 4. Omnipræsentia  
& infinitas, Ps. 139: 7. Sap. 1: 7. Joh. 14: 16. Rom. 8: 9 &  
11. 1. Cor. 3: 16. c. 6: 19. 2. Tim. 1: 14. Objectiones varias  
servamus conflictui. 5. Omnipotentia; dicitur enim di-  
gitus Dei Matth. 12: 28, & Luc. 11: 20, super quem locum  
Ambrosius ait: Spiritus S. dicitur Dei digitus, quia est vir-  
tus Dei operatoria. Esa. 11: 2. 2. Tim. 1: 7. 1. Cor. 12: 6 &  
11. Act. 10: 18. Conf. Jud. 6: 34. c. 11: 29. c. 13: 25. &c.  
6. Bonitas, scilicet absoluta Ps. 143: 11. Neh. 9: 20. 7. In-  
suffitia divina colligitur ex abominatione & redargutione  
peccatorum, Esa. 64: 10. Joh. 16: 8. Eph. 4: 30. 8. Omni-  
scientia, Esa. 40: 13. 1. Reg. 8: 39. Joh. 14: 26. c. 16: 13.  
Act. 1. 16. c. 20: 23. 1. Cor. 2: 10 & 11. Eph. 1: 17. 1. Tim.  
4: 1. 1. Pet. 1: 11. 9. Αὐτεξούσια & summa Libertas 1. Cor.  
12: 11. 2. Cor. 3: 17. 10. Veritas divina, Joh. 14: 17.  
c. 15: 26. c. 16: 13. 1. Joh. 4: 6. imo ipsa veritas dicitur 1.  
Joh. 5: 6. 11. Majestas divina, Esa. 6: 3. conf. Act. 28:  
25. 26. 1. Pet. 4: 14. Matth. 17: 5. 2. Cor. 3: 18. Ex his  
quibusdam, flaunt per bonam consiq. alia etiam attributa

nonnulla ; quibus recensendis abstinere placet, & expressa in Verbo Dei enumerasse sufficit. Ideoq; 12. ὁ πνευματικός Spiritus S. cum Patre & Filio probatur α. Ex collatione 1 Joh. 3: 24. c. 4: 13, cum Joh. 14: 23. Nec non Joh. 14: 10, cum Matth. 12: 28. *¶* Quemadmodum propter suam cum patre ὁ πνευματικός Filius dicit Joh. 5: 30, Non possum à meipso facere quicquam, sicut audio, iudico : ita eādem consequentiā de Spiritu S. dicitur Joh. 16: 13, Non loquetur à semetipso, sed quaecunq; audierit loquetur. Prosper Augustini discipulus in sent. 366, sic debemus ait, accipere quod de Sp. S. dictum est : Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunq; audierit loquetur : ut intelligamus cum non esse à semetipso. Conf. Joh. 15: 15. *¶* Ex collatione 2. Cor. 13: 3, cum Matth. 10: 20. item, I. Cor. 10: 4, cum Esa. 63: 14. δ. ἐκ τῆς ἐνόργητος, cum Patre & Filio, E. g. Eph. 4: 4, ἐν πνεῦμα v. 5. εἰς κύριον, v. 6. οὗτος γὰρ πατήσας πάντων. sed ne quis ad hanc πατήσαται σοιώθῃ referat etiam illa, quæ pertinent ad ἐνόργητα μυστήρια, utpote corpus, spem, fidem, baptisma, addit hæc verba de S. S. Trinitate v. 6. ὁ Επίκλητος, γὰρ διὰ πάντων, γὰρ ἐν πᾶσιν ὁ πύρ. Conf. I. Cor. 12: 11. 13. Vid. Epiphanius lib. 3. Hæres. 54.

XIV. III. Opera divina quoque solidè divinitatem Sp. S. adstruunt, qualia sunt. 1. *Creatio & conservatio rerum omnium*, Job. 33: 4. Ps. 33: 6. Ps. 104: 30. Esa. 40: 12, 13. Ambrosius expendit verba Joh. 1: 3. *Omnia per ipsum facta sunt*. Spiritus S. inquit, in Evangelistā loquebatur, ideo si fuisset creatura, oportuisset ipsum dicere : *Omnia per ipsum facta sumus*, ita ut seipsum à ceteris suis creaturarum non excluderet. 2. *Miraculorum patratio*, Exod. 8: 19, conf. cum Luc. 11: 20, ubi Moses digito Dei fecisse miracula dicitur, perinde ut Salvator digito Dei ejecisse

demonia. Math. 1: 18 & 20. Luc. 1: 35, conf. cum Ps. 113:  
9. & Gen. 30: 2, ubi sterilium fæcundationem Dei opus esse  
statuitur, ideoq; multò magis conceptionem sine virili semine.  
3. Opera gratiæ Spiritus S. a. In Christo, qui à Spiritu  
S. dicitur 1. Missus tanquam Mediator Dei hominumq;  
1. Tim. 2: 5. Confer Esa. 48: 16, cum Joh. 18: 20. 2. Unctus,  
i. e. dona Spiritus S. accepit in humanâ naturâ, non ad  
mensuram, Joh. 3: 34; sed infinita, Ps. 45: 8. Heb. 1: 9.  
Sic conf. Esa. 42: 1, cum Matth. 12: 18. Pariter Esa. 61: 1,  
cum Luc. 4: 18. Huc refer Joh. 6: 27. Act. 10: 36. Quod  
verò in baptismo Spiritus S. in specie columbae descen-  
dit super Christum, Matth. 3: 16, non evertit unctio-  
nem illam: descensum enim, fuisse manifestationem ex-  
teriorum ejus, quod factum erat interius rectè defendit  
Augustinus L. 15 de Trin. c. 26: Nec sanè tunc, ait, unctus  
est Christus Spiritu S:to quando super eum baptizatum ve-  
lue columba descendit. &c. Et paulò post. Sed ista mysticâ  
& invisiibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando  
verbū Dei caro factum est. Varia etiam opera Spiris-  
tus S. in Christo Mediatore breviter comprehenduntur  
Esa. 11: 1. 2. Non quod tantum 7. sint Spiritus S. dona; sed  
quia septenarius est numerus perfectionis, conf. Apoc. 1:  
4. c. 5: 6. β. In Christi membris, præsertim electis,  
efficit Sp. S. varia opera gratiæ, & quidem speciatim 1.  
Regenerationem, quæ non minoris potentiae est, quam i:  
psa Creatio, Zach. 12: 10. Heb. 10: 29. 1 Cor. 6: 11. Tit. 3:  
5. Quocirca Cyrus L 1. in Joh. c. 14: Si Spiritus, ait,  
non est naturâ Deus, sed in creaturarum numero collocatur, quo  
modo, qui per eum regenerati sumus, ex Deonati dicimus? 2.  
Renovationem, novos scilicet & spirituales motus exci-  
tando, imaginem Dei restaurando & sanctificando, Rom.  
2: 29. c. 7: 6, c. 15: 16. 1. Cor. 6: 11. 2. Cor. 3: 18. 2. Thes.

2: 13. Rom. 8: 15 &c 26. c. 14: 17. Gal. 5: 22: Eph. 2: 18.  
Ad renovationis opus refert D. Gerhard. quod Spiritus  
S. sit noster παράνυπτος & Advocatus Joh. 14: 6. c.  
15: 26. Et quod certos quoq; nos reddat interno testi-  
monio de gratia Dei & vitæ coelestis hæreditate, Ps.  
51: 12. Rom. 8: 16. Eph. 1: 13. 3. Ministerij Constitutionem  
& Regimen. Conf. Act. 13: 2 & 4. c. 15: 28. c. 16: 6. c.  
20: 22 & 28. 1. Cor. 2: 4 & 10. 2 Cor. 3: 3 & 6. Phil. 1: 19.  
2 Tim. 1: 14. 4. Futurorum revelationem, quæ Deo so-  
li competit Esa. 41: 22. Luc. 2: 26. Joh. 16: 13. 5. Trans-  
lationem piorum ab uno loco in alium; quamvis ad mi-  
racula id quoq; possit referri 1. Reg. 18: 2. Ezech. 3: 14.  
Act. 8: 39. &c.

XV. IV. *Divinus Cultus & honor adorationis cuicun-*  
*què exhibetur & simul in verbo Dei tribui jubetur, is est*  
*verus Deus, Deut. 6: 13. c. 10: 20. Matth. 4: 10. Esa. 42:*  
*8. At Spiritui S. divinus cultus & honor adorationis*  
*exhibetur, & simul in verbo Dei tribui jubetur, Rom.*  
*9: 1, ubi docetur per nomen Sp. S. posse jurari. Matth.*  
*28: 29, ubi in nomine Spiritus S. baptizamur, & foedus*  
*enimus cum Deo. 1. Pet. 3: 21. Deniq; Esa. 6: 3. 5. 6. ubi*  
*Sp. Sanctum adorant Seraphim seu Angeli. At Spi-  
ritum S. ea verba fuisse locutum testis est Lucas Act. 28:*  
*25. Tandem in Spiritum S. potest peccari Matth. 12: 31.*  
*Marc. 3: 29. Luc. 12: 10. 1. Joh. 5: 13. At soli Deo peccamus*  
*Ps. 51: 2. E. SS:ta Spiritus Sancti Γειόργης & Divinitas ita*  
*stabilita constat, ut ne portæ quidem inferorum & uni-  
versæ diaboli vires eam valeant expugnare. Unde in*  
*Symbolo Nicæno rectè additur: quod Spiritus S. cum*  
*Patre & Filio simul adoretur & conglorificetur. Imò in*  
*Symbolo Apost. rectè profitemur: Credere nos, non solum*  
*in Patrem & Filium, sed & in Spiritum sanctum. Hinc etiam*

Dama-

Damasus in confessione cath. fidei ad Paulinum, illos anathemate ferit, qui dixerunt Sp. Sanctum non esse adorandum ab omni Creaturæ, sicut Filium & Patrem. Hist. Trip. L. 9. c. 16. Et Div. Basilius rectè monet Epist. 78: Δεῖ γὰς βαπτιζεσθαι μὴν ὡς σπαρελάθομον; πισέναι δὲ ὡς βαπτιζόμενα; δοξάζειν δὲ ὡς τεωτισμαντον, τετέρα καὶ ιδίων καὶ ἄγιον τενεμα.

Concludo igitur Membrum II. de æternâ Spiritus S. divinitate, verbis Iustini Martyris in Expos. fid. de rectâ confes. Si in Spiritus S. institutione, si in divinâ doctrinâ, si in ipsâ rerum universarum creatione, si deniq; in summa potestatis autoritate, persimilia, atq; adeo eadem de Patre & Filio & Spiritu Santo prodita sunt: quis ita sinistro fuerit animo (της ὧν σκαπάσ) ut de aquabili inter ipsos essentiæ communione ambigat?

XVI. Damnantur proinde Sabelliani & Samosateniani, dicentes unam tantum esse personam divinitatis. Macedonius impiè blaterans Spiritum S. esse creaturam. Eunomius & alij τρεματομάχοι, qui finxerunt Spiritum S. esse quidem præstantiorem Angelicis virtutibus, sed non Dominum vel Deum. Alij responderunt se neutrum velle asserere, An sit Deus, vel Creatura. Anabaptistæ quidam, eorumq; Campanus clamârunt: Spiritum S. non esse ab æterno; sed coepisse primum post glorificationem Christi, & fuisse vel columbam, vel ignem. Talis ἐπεροῦξια de Spiritu S. magno consensu veræ Ecclesiæ, profligata fuit in Synodo oecumenicâ II. quæ Constantinopoli est habita circa A. Christi 385. contra Macedonium & ejus ὀρθόφυλφος, quam pij Impp. Gratianus & Theodosius convocarunt. Test. Hist. Trip. lib. 9. c. 21. Et Actus concilij &c. Conf. etiam D. Salom. Gesn. L. 1. de Concilijs c. 7. p. 76.

XVII. III. &. PROPRIETAS HYPOSTATICA, quâ Spiritus S. à Patre Filioq; èv évōγyti τῆς ἡσίας, realiter discer-  
nitur, est æterna illa (sed mortalibus ἀκατάληπτοι καὶ  
ἀδόξητοι) ἐκπόρευσις, & ab utroq; Processio: de quâ B. Athanasius in Symb. ait: *Spiritus S. à Patre εἰς Filio non factus, nec creatus, nec genitus est, sed procedens.* Itaque etiam symbolo Niceno, postea in Synodo Constantinopolitanâ, contra Episcopum in eâdem Ecclesiâ Macedonium pro concione docentem: *Spiritum S. Patre εἰς Filio minorem, nec ejusdem cum utroq; substantia, sed meram creaturam esse, εἰς vim à Deo conditam; quæ per divisionem essentiæ rebus creatis insit:* Teste Ruffino Lib. i. Hist. Eccl. c. 25. & Augustino lib. de Hæret. c. 52. Hæc adjecta fuere: πιστεῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον, τὸ Κύριον, τὸ σωτηρίον, τὸ ἐκ τῆς πτωχίας, καὶ τῇ ὑπὲρ ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πτῷ καὶ ὑπὲρ συμπροσκυνήμενον καὶ συνθοξαζόμενον.

XVIII. Quod ad vocabulum ἐκπορέυεσθαι pertinet, Damascenus quidem Lib. i. de orthod. fide, c. 9. inter τὸ γεννᾶθαι καὶ ἐκπορέυεσθαι, *Nasci & procedere*, sive inter τὸ γεννόμενον καὶ ἐκπορεύμενον tām sollicitè disting-  
endum esse statuit, ut prius illud tantum dicatur de Filio: posterius autem hoc, tantum Spiritui S. adsignetur. Un-  
de pleriq; etiam recentiores discernere solent, inter τὸ ἐξελθεῖν exire, & ἐκπορέυεσθαι procedere, ut illud qui-  
dem de Filio: hoc autem tantum de Spiritu S. in scri-  
pturis prædicari ostendant. Sed & res ipsa & usus lin-  
gvæ Græcæ distinctionis illius veritatem non per omnia  
probat: in scripturis certè verbum ἐκπορέυεσθαι etiam  
de alijs, ijsdemq; diversis rebus dici, multis demonstrat  
exemplis ipse B. Gerhardus in L. de Sp. S. c. 4. §. 60.

XIX. Non igitur pertinaciter hæreamus in hisce vo-  
cabulis; vix enim argumenta inde deducta impetum

adversariorum sustinebunt. Sed omne momentum in  
reiplâ & modo subsistendi consistit. Doctores Scholasti-  
ci communiter tradunt, Generationem Filij ex Patre esse  
per modum intellectus, qui rei intellectæ similitudinem  
refert: Processionem vero Spiritus S. esse per modum vo-  
luntatis, quæ rem intellectam amat & amplectitur. Qui  
bus favere videntur Basilius & Nazianzenus, affirmantes  
Nasci, esse à mente seu cogitatione: procedere autem à volun-  
tate. Verum cum intellectus & voluntas in Deo simpli-  
cissimo non ita differunt, ut in creaturâ rationali, simi-  
litudo hæc non per omnia quadrat: interim ta-  
men, scripturâ teste, subsistendi modus in Filio & Sp.  
Sancto, non tantum ratione ordinis, ut ante dictum,  
sed & respectu Rei differt à se invicem, quatenus scilicet  
Filius à solo patre est per æternam generationem,  
Ps. 2: 7. Et Spiritus S. non à solo Patre; sed à Patre &  
Filio simul, ut paulò post dicetur, in æternitate spiratur  
Ps. 33, 6. Isa. 11: 4. 2. Thes. 2: 8.

XX. Hanc æternam Spiritus S. processionem, quia ab  
humanâ, διὸς διὰ πατέρων distat, & sit sine ullo aliquo  
Spiritū S. extra spirantis Patris & Filij essentiam recessu;  
recte Theologi appellant εὑπέρεσσαν i. e. immanenter  
respectu cuius, Spiritus S. distincta quidem à Patre Fi-  
liog persona esse intelligitur: sed ita, ut essentialiter in  
divinitate maneat. Unde liquet, voces spirare & proce-  
dere, de personis in divinitate verè dici, sed eminentissi-  
mo, & ab omni imperfectione creaturis adhærente, li-  
beratissimo modo: de quâ ineffabili Spiritus S. proces-  
sione extant varia S. Scripturæ oracula α. τῷ ἀγρών ex-  
primitur, Joh. 15: 26. β. Appellatur Spiritus oris Domini,  
Job. 33: 4. conf. Dicta th. 7. γ. Spiritus Faciei Domini,  
Esa. 57: 16. Δ. Spiritus ex Deo, 1. Cor. 1: 12. ε. Spiritus S.  
dici-

dicitur à Patre & Filio effundi & mitti ( missio autem illa in tempore, est manifestatio processionis aeternæ; ) couf. Esa. 44: 3, & Joh. 7: 38. Ezech. 36: 25. 26. c. 39: 29. Conf. Joel. 2: 28. 29. & Act. 2: 17. Zach. 12: 10. Luc. 24: 49. Joh. 14: 26. c. 15: 26. c. 16: 7. c. 20: 22. Act. 10: 45. Gal. 4: 6. Tit. 3: 6. 1. Pet. 1: 12. Apoc. 5: 6. 5. Spiritus Elohim Gen. 1: 2. Jehovæ, Domini, Patri, Filij, in locis perplurimis.

XXI. Quæstio hinc oritur, quam & olim Maximinus Arianus objeccerat Augustino: *Cur Spiritus S. non aquè dicitur genitus ac Filius, cum utrumq. vocabulum & Generationis & Processionis, significet communicationem ejusdem essentiæ?* R. 1. Verbis D: Augustini: *Quia Filius vocatur unigenitus, ideo non dicimus, Spiritum S. esse genitum; quia non duo, sed unus est Filius: phrasin ergo Filij Dei imitantes, dicimus ipsum procedere.* R. 2. Verbis D: Chrysostomi, Homil. 6. de Sp. S. ador. *Quod non est scriptum, non est sentiendum vel dicendum. Scriptura vero nullibi affirmavit, quod Spiritus gignitur à Patre, sed quod procedit. Est igitur inter Generationem & processionem in divinitatis substantiâ maxima statuenda differentia: ita, ut nisi duos vel Filios vel Spiritus S. velimus approbare, firmiter credamus necesse sit, Generationem, quæ de Filio prædicatur, nunquam Spiritui S. tribui posse: & vice versa: Processionem spiritus nunquam Filio. Hujus differentiæ modum scrupulosè percontanti respondemus cum Nazanzeno L. 5. de Theol. *Dic tu nobis quid sit generatio, & nos tibi dicemus, quid sit Processio, ut sic utring, insaniamus, Dei secreta rimando.* Et cum justino Martyre in Expos. Fid. de recta conf. f. 298: ὥσπερ ὁ νιὸς ἐκ τῆς στοργῆς, ὡς καὶ τὸ πνεῦμα: πλὴν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρχεως διότε: ὁ μὲν γὰρ, φῶς ἐκ φω-*

τὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε: τὸ δὲ, φῶσ μὲν ἐκ Φωτὸς καὶ  
αὐτὸς, & μὲν γεννητῶς, ἀλλ᾽ ἐκπορευτῶς πρόγλωσσον.

XXII. Quæritur porrò: Si spiritus S. dici nequeat  
à Patre genitus, num ne ergo appellari possit *ingenitus*?  
¶ Ex verbis Augustini L. 15. de Trin. c. 26: *Spiritum*  
*Sicutum* nec *Genitum* nec *Ingenitum* *Fides* certa declarat:  
quia si *ingenitum* dixerimus, duos Patres videbimus affirmare:  
*Sic Genitum*, duos credere *Filios* culpabimus. Inst. Sed  
quid respondendum erit S. Hieronimo, qui in Regulis  
definitionum contra Hæreticos, *Spiritum* S. & ipse no-  
minat *Ingenitum*, & ita piè nuncupari asseverat. ¶ quod  
phrasis: *ingenitum esse*, laboret ὄμων μια: Usurpatur e-  
nīm vel pro eo, quod aliundē prorsus nullā ratione est:  
quo respectu *Spiritum* S. dici posse *Ingenitum* cum S. Au-  
gustino rectè negatur, quippe qui suam ἔργον αστραπὴν  
à Patre & Filio: & hoc resp. solus Pater est & dici debet  
*ingenitus*. Vel *ingenitum* esse idem notat, ac non esse ge-  
nitum, quamvis alio modo ab altero egrediatur vel pro-  
cedat: qua ratione *Spiritum* S. *ingenitum* nuncupa-  
ti posse D. Hieronimus contra Hereticos rectè definit.

XXIII. Cœterū, à Patre *Spiritum* S. procedere nun-  
quam in Ecclesiâ fuit dubitatum, sed in orientali Ecclesiâ  
Graci quondam probare contenderunt, hodieq; con-  
tendunt, *Spiritum* S. à solo Patre, non item à Filio procedere.  
Quæ controversia ut nostro se intellectui distinctius in-  
sinuet, rectè à quibusdam Theologis triplex Græcorum  
ætas constituitur: *Prima*, *Media* & *Postrema*, ut constet qui-  
nam Græcorum Theologorum istius Erroris de Sp. S. in-  
simulari possint & debeant. *Ista* à Christi Ascensione,  
& ab eo cumprimis tempore, quo Græcia ad Fidem  
conversa fuit, duravit usq; ad tempora Basilij. Qui pri-  
mâ hâc ætate vixerunt Græci Theologi ab Ecclesiâ occi-  
dentali

dentali & Latinâ nullatenus dissenserant, quales fuerant: Ignatius, Dionysius Areopagita, Polycarpus Apostoli Iob. discipulus, Iustinus Philosopher & Martyr, Irenaeus, Clemens Alex. Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Gregorius Neocæsariensis, Dionysius Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus. Illa scilicet media ætas, à Basiliū seculo, quod quartum erat, usq; ad seculum decimum se extendit. Quā ætate coeperunt Græcorum noti nulli de Divinitate *Spiritus S.* disputare, quanquam clan- culum adhuc & timidiusculè, usq; ad Macedonium, qui primus publicè & pertinaciter illius Divinitatem negare ausus est. Contra quem licet Basilius acerrimè pugnâ- tet: usus tamen est quibusdam phrasibus, quæ sensum ambiguum, & haud usque adeò commodum præ se fer- rent, alijsq; erroribus ansam præberent, ut cum sæpè hâc utebatur formulâ: στρεοῦ μα ρὸ ἀγιον ἐσὶν ἡσὶ στρ- τοῖς, δι βῆ. Hinc Theodoretus Episcopus Cyranus, qui Ba- silium insecurus est, arreptâ occasione, primus negâsse scribitur *Sp. Sanctum* procedere etiam à Filio. Quam- vis hâc ætate non dum hic error omnes Græcorum Theo- logorum animos inquinavit. Sed Postrema ætas, quæ Basiliū, Theodoreti, Cyrilli, aliorumq; Græciæ Luminum ætatem exceptit, contumacitè demum errorem istum suscepit defendendum, & simplicitè negavit *Spiritu S.* etiam à Filio procedere, quam in sententiam descenderunt cum Theophylacto complures Græciæ Doctores. Et eō exarsit disputatio hæc, ut Græci à Latinis aperte defece- rint, frustrâ in hunc diem usq; varijs redintegranda pacis & concordia quæsitis & tentatis conditionibus: Iste Græcorum enim error, ita radices impietatis egit, ut ex ipsorum animis evellatur difficilime. Pigmenta, qui- bus heterodoxia facere hacten<sup>o</sup> studuerunt, Chem- nitius, Tübinger, alijq; abstulerunt.

**XXIV.** Verum Spiritum S. etiam à Filio in æternitate procedere, hisce documentis invictè demonstrari potest. 1. Quo jure Filius in Trinitate ab eâ personâ genitum, cuius Filius esse dicitur: Eodem jure Spiritus S. ab eâ personâ procedit, cuius Spiritus esse dicitur. At Spiritus S. passim non tantum Patris, sed & Filij Spiritus esse dicitur, Rom. 8: 9. Gal. 4: 6. Phil. 1: 19. 1. Pet. 1. 11. E. Connexio Majoris liquida est: Relationes enim illæ personarum, non considerantur ex gratiâ alicujus donationis; siquidem intra divinitatis & iæ longè absolutissimam, talis gratuita donatio locum non habet: si Spiritus S. igitur non sit Filij Spiritus per gratiam, utiq; erit per naturam; & propter illam hypostaticam processionem à Filio æternam.

**XXV.** 2. Qui habet jus mittendi, & in tempore quoq; Spiritum S. mittit, ab eodem ut hic procedat necesse est. Atqui Filius habet jus mittendi, & in tempore quoq; Spiritum S. mittit Ioh. 15. 26. c. 16: 7. E. Major patet: Etiam si temporalis missio non sit cum processione raurò quiddam & unum: jus tamen illud aliunde Filio non competit, quam ex relatione illâ personali, quâ Filius cum Patre eundem spiritum coessentialē spirat: nam quemadmodum (observante Augustino, L. 2. de Trin. c. 5.) Solus Pater nungquam legitur missus, quia à nullo est: Filius verò à solo Patre mittitur, quia ab ipso solo est in æternitate genitus: ita Spiritus S. non à solo patre sed & à Filio, i. e. ab utroq; dicitur mitti, quia ab utroq; in æternitate procedit, per unum eundemq; æternæ spirationis seu processionis actum. Inst. De Filio quoq; dicitur, quod à Spiritu S. mittatur, Esa. 48: 16. cum tamen ab eo non sit genitus. Ex. Ultraq; propositio in Scripturâ fundatur: Solus Pater mittit Filium Gal. 4: 4. Spiritus S. quoq; & tota Trinitas mittit Redemptorem Esa. 48: 16.

**XXVI.** 3. Si Spiritus Sanctus ideo nominatur Spiritus oris Dei Patris, Ps. 33: 6, quia ut spiraculum indissolubile, ex ore aeternae ejus essentiae ineffabili modo procedit: Consequens est, ejusdem etiam processionis respectu, Spiritum S. nominari spiritum oris Christi Esa. 11: 4. 2. Thes. 2: 8. At verum p. E. post. Connexio prop. Maj. adhuc illustrari potest ceremoniâ illâ, quâ Christus sufflando, in Apostolos Spiritum S. contulit Joh. 20: 21. Nimirum per egressionem flatus corporei, qui Mysterij hujus haud inconveniens āvæloγ iæ, ceu symbolum erat, palam testatus, quod spiritus sanctus, qui mediante corporeo illo afflatu discipulis conferebatur, ex incorporeo quasi ore Divinitatis Christi procedat. Conf. Aug. Tract. 99. & 121. in Joh. Min. p. quia alia causa dari non potest sufficiens.

**XXVII.** 4. Si Spiritus S. suam sapientiam, cuius vi docere Apostolos, & Futura prædicere potest, accepit à Christo: & verò nihil in tempore demum is accipere potuit, Esa. 40: 13. 14. Necessariò sequitur Spiritum S. hoc accepisse à Filio ab aeterno. At verum prius, Joh. 16: 13. 14. E. posterius. Quod si ab aeterno: utiq; κονωνίας στοιχεῖα per processionem acceperit necesse est: nullus enim aliis acquirendi modus, in aeternâ Trinitatis κονωνίᾳ, Spiritui S. competit. Et quia Scientia Spiritus Sancti, quam accepit à Filio, non est habitus accidentarius, sed ipsa divina essentia, cum quâ etiam simplicissime convertitur, vel inde constat, ipsam quoque στοιχεῖα Spiritum S. accepisse à Filio, eamq; per processionem. Adhuc, nisi Spiritus S. procederet à Filio: falsum esset quod statim Salvator subjecit: Omnia quaecunq; habet pater, mea sunt v. 15, quâ nota universalitatis, actum hujus spirationis siue processionis aeternæ comprehendi manifestum est,

imō necesse, nisi cum Arianus Filium Patri per omnia & qualem esse maluerimus inficiari.

XXVIII. 5. Si Spiritus S. ex substantia Patris & non Filij procedat, consequens est Filium Patri non esse ὄμοιστον, sed essentiæ divinæ fieri distractionem. At hoc est blasphemum & absurdum, E. & Antecedens. Connexion probatur, quia una est Patris Filij, essentia, & uterque τὸ τάξεως sive ordine Spiritu S. to prior. Min: p. quia Essentiæ divinæ unitas facit, ut quamvis Pater & Filius personis sint distincti; non tamen diversa spirent spiracula, sed ἑστίας identitate, unum sint οὐρθυαζόμενον, in uno eodemq; ὄμοιστον spirando spiritu. Instant Graci: Hoc modo secuturum, quia Pater & Spiritus S. æquè ἑστίας unum sunt, ac Pater & Filius: ut Pater ē suā substantiā gignere nequeat Filium, nisi & Spiritus S. ἐνέγγεια in isto generationis actu, ob indivisam essentiæ divinæ unitatem concurrat. R. 1. Non licet ex sola essentiæ communione, neglectâ Personarum τάξεως & hypostaticæ differentiæ formalí constitutione, argumentari; sed personalis characteris semel constituti ordo est sancte observandus. 2. Ideoq; cum non Spiritus Filio, sed Filius Spiritu, respectu τάξεως hujus hypostaticæ sit prior, Spiritus Filium generare non potest; quippè eidem ordine posterior; sed Filius nna cum Patre, ob essentiæ unitatem, non nudè & simpliciter considerata, sed cum originis sive personalis proprietatis respectu in Filij personā connexam, πνεῦμα τὸ ἄγνωτον ab aeterno spirat. 6. Si Spiritus S. effet à solo Patre quemadmodum Filius est à solo patre, juxta hypothesis Gracorum; nulla excogitari posset ratio, cur Filius & non Spiritus S. pro secundâ personali agnoscetur. At Consequens est absurdum, cum talis inter personas Deitatis ordo in Formulâ baptismi nostri,

āChri-

à Christo ipso sit sanctus, Matth. 28:19. tum postea in diversis symbolis traditus; ratio quoq; ejusdem supra in th. 9. exposita. E. 7. Si Spiritus S. non procederet à Filio, omnis planè personalis nexus & Relatio inter Filium & Spiritum S. tolleretur. At consequens planè absurdum est: requirit enim absoluta Trinitatis perfectio, ut personæ suis Characterum personalium respectibus & hypostaticis relationibus, sic omnes ad se mutuò, adeoq; singularè ad singulas sint devinctæ; ut Pater quidem referatur ad Filium, tanquam ab æterno genitum Ps. 2: 7. Filius, e. iusdem vi relationis, ad Patrem, tanquam æternum Genitorem: Pater ad Spiritum S. ut πατρὸς λένος, sive in æternitate spirans, ad suum spiraculum; Spiritus S. item ad Patrem, tanquam suum ἀπόστολον πατρὸς λένος sive spiratorem, Joh. 15: 26. Relinqueretur igitur in S. S. Trinitate inter solum Filium & Spiritum S. quidam hiatus & quasi solitudo, si nulla personalis inter τοὺς λόγους & Spiritus S. ἑτοίσασιν interveniret Relatio: quale διάσημa absoluta illa & infinita S. Trinitatis perfectio, nullo modo admittit; quin etiam hæc Relatio hypostatica sit verissima: quod τὸ συνδυασθόμενον, Filius cum Patre respiciat Spiritum S. tanquam ἐκπορευόμενον; quippè qui ab utroq; in æternitate procedat, Joh. 16: 13 & 14. &c.

XXIX. Tandem hodiernorum Græcorum & orientalium Heterodoxie opponimus unanimum consensum orthodoxæ tām Græcæ quam Latinæ Antiquitatis, processionem Spiritus S. etiam à Filio pleno ore affirmantis: Athanasius (quem Theodoreetus propugnaculum veritatis appellat) in Symbolo ait: τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ νικῆ, & κτισόν, & δὲ γενητόν, ἀλλ' ἐκπορευόν. Epiphanius in Ancorato inquit: πνεῦμα ἄγιον & συνάθελφον, & πατράθελφον: ἀλλ' ἐκ

τῆς ἀντικατοπτρίας τοῦ οὐρανοῦ. *Cyrillus Lib. 10. in Job. c. 41:* Non est alius, dicit, à substantiâ Filii Spiritus, sed ex eâ naturaliter procedit, naturâ omnino idem, in persona vero propriâ subsistens. *Conferatur sessio VIII. Concilij Florentini*, ubi antiqui Græciæ Patres confederati recententur..

XXX. In *Concilio Lateranensi*, celebrato A: Ch. 1204, sub *Innocentio III.* propugnata fuit Fidei Confessio, præter alias, talis: *Tres personæ, sed una essentia: Pater à nullo, Filius à solo Patre, Spiritus S. ab utroq., ab initio semper ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, Spiritus S. procedens, consubstantiales, coomnipotentes & coæterni.* Tandem in concilio *Lugdunensi* A: Ch. 1264, sub *Gregorio X.* Et iterum in concilio *Florentino*, sub *Eugenio IV.* A. Christi 1439, præsentibus *Michaële & Iohanne Palæologis*, Græcorum Impp. quô controversia hæc potuisset aut soperiri aut tolli; eō tandem, varijs antegressis disputationibus, res est deduxta, ut Græci aliquid concederent, & affirmarent *Spiritum S. procedere ex Patre per Filium quidem, non autem ex Filio.* Unde queritur:

I. An *Spiritus S. magis à Patre procedat, quam Filio?*

B. *Divus Augustinus Lib. 15. de Trinitate c. 17. & 26.* affirmat *Spiritum S. procedere à Patre principaliter.* Et *Divus Hieronymus* eundem ab eodem propriè procedere statuit. Verum hoc non intenderunt B. patres, quod *Pater magis & pleniū spiret Spiritum S. ac Filius:* ita enim *Essentiæ & Majestatis divinæ introduceretur inæqualitas, & impietati Ariane Solennis aperiretur Schola.* Sed respexerunt ad discrimen illud, quod *Pater hanc spirandi potestatem habeat à semetipso: Filius autem per ineffa-*

ineffabilem à Patre generationem ἀχρόνως ήγειραι  
πίστις accipiat, ut ab ipso quoq; æternum illud spir-  
culum procedat.

2. An iste loquendi modus, quo Græci Spi-  
ritum S. à Parre per Filium procedere di-  
ixerunt, sit Fidei ανάλογο?

R. Neg. Gignit enim ille inæqualitatem essentiæ Pa-  
tris & filij: si namq; Sp. S. à Patre procedit mediata-  
tum erit vel *Filio* propinquior quam *Patri*, quod Patris  
Deitati derogat, & est blasphemum in primam; vel  
*Filiij ὁμοστίαν* cum Patre negat, quod est *Arianum* &  
blasphemum in personam secundam. Ergo exulare  
jussâ periculosa locutione Græcorum, statuendum est  
ἀρθοδόξως, Spiritum S. immediate à Patre & Filio, tan-  
quam ab uno fonte & æquali origine essentiali proce-  
dere. Judicet ergo vera Ecclesia, anne Græci errant  
circa fundamentum Fidei, & numne in articulo Fidei  
capitali à nobis dissideant?

3. An Divinæ Majestati Spiritus S. nihil dero-  
get, quod de se nullā producat personam aliam?

R. Quòd ea potius indè plurimūm illustretur; sicut e-  
nim hæc est reliquarum personarum hypostatica & per-  
sonalis perfec̄tio, quod ob Deitatis plenitudinem, non  
possint admittere vacuitatem; sed sint bonum κοινω-  
νῆτῶν, proindeq; Pater generet sibi *Filiū ὁμοστον*: Pa-  
ter verò ac *Filius* mutuo suo essentiali amore, ut loqui  
placet Augustino L. 9. de Trin. c. 12. spiritum itidem  
sibi ὁμοστον spirent: Ita divinissimæ perfectionis Spi-  
ritus S. argumentum erit evidentissimum, quòd S. Trini-  
tatis αὐτάρκεια, quæ infinitam generantium & geni-

torum ac procedentium seriem non fert, in ipsius S.  
ēποντάσσει seu basi tota acquiescit; omnimodam nempe  
suam in eā ἀναρτέλεσσεν jam consecutā.

XXXI. IV. δ. OFFICIUM Spiritus S. est juxta dictum Pauli 2. Tim. 3: 16, quadruplex: 1. Διδασκαλικὸν, quo sobrios auditores verbi ducturus est in omnem veritatem, Joh. 16: 13. 2. παιδευτικὸν, quo Christianorum vitam præceptis salutaribus informabit, & à malis operibus liberabit, 2. Tim. 4: 18. 3. ἐλευχρικὸν, quo arguet mundum, præcipue ob ἀπίστιαν & falsam religionem, Joh. 16: 8. 2. Tit. 1: 9. 4. ἐπαιροθεωρικὸν, quo pœnitentiam concionatur & fulmina legis emittit, atq; impietatem ac securitatem vehementer redarguit, Matth. 3: 2. Gal. 5: 15. 17. 18. 19. 20. 21. Est E. Spiritus S. & Mansuetus 1. Cor. 4: 21. resp. duorum munierum priorum, & Litigator Gen. 6: 3. (Hebr. Ruach jadon) ratione scilicet munierum posteriorum. Utrumq; artificiose connectit S. Apostolus 2. Tim. 4: 2. Exsequitur autem hoc suum ministerium in Ecclesiâ Spiritus S. ordinariè per Verbum, tanquam suum Vehiculum Act. 10: 44. 2. Pet. 1: 23, idq; vel prædicatum & auditum, vel lectum, vel meditatum; idq; in eum finem, ut homines ex consolatione Scripturarum æternâ felicitate fruantur.

XXXII. V. ε. DONA Spiritus S. sunt duplia, I. Ministrantia, quæ ad salutem minus necessaria, quippe Ethniciis etiam, impijs atq; hæreticis hominibus communia: ut dona Lingvarum, miracolorum, heriocorum facinorum, artium liberalium & mechanicarum inventio, facultas disserendi &c. II. Sanctificantia, quæ ad salutem sunt necessaria, & non nisi piis & credentibus conveniunt; ut vera Dei agnitus, sincera articulorum

cotorum fidei explicatio, Fides, spes, invocatio &c.

**X X X I I I.** Quæritur h. l. An in Credentibus habitat ipsa Spiritus S. essentia, an verò tantum effectivè secundum dona, quemadmodum Sol in agro esse dicitur, quia ibi sunt radij? q. Verbis B. Lutheri in Ps. 51: Omittamus inutiles scholarum disputationes, loquatur ne David de divinâ personâ, an de dono spiritus? Quid enim hæc, etiam accuratè disputata adificant, cum habemus clarum testimonium Christi: veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus? Habitat ergò verus spiritus in credentibus, non tantum per dona, sed & quoad substantiam suam: neq; enim sic dat dona sua, ut ipse alibi sit, aut dormiat; sed adest donis & creatura, conservando, gubernando, addendo robur &c. Sed tamen inter duo ista ita distingvendum est, ut dona, quæ in nobis operatur, non sint ipsa Spiritus S. substantia, sed differant ab ea, tanquam effectus à suâ causâ. Unde dona quidem amitti, & horum respectu Spiritum S. executi posse, David, Petri & aliorum exemplis certum est: ipsa interim Spiritus S. essentiâ manente præsentissimâ, quippe in quod sumus, movemur & vivimus Act. 17: 28, quiq; ut Deus omnibus creaturis & orðis adest: sed hominibus juxta mensuram distribuit dona, Rom. 12: 3, 1. Cor. 12: 7. 11. Eph. 4: 7. Heb. 2: 4.

**X X X I V.** Cognoscere autem possumus benignam Spiritus S. inhabitacionem ex fructibus ejus, Rom. 8:14. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei. Non enim est otiosus Gal. 5: 25. Qui Christum & ejus verbum vere amant, Spiritus S. templa sunt, Conf. 1. Cor. 3: 16. c. 12: 3. Gal. 4: 4. Media acquirendi & conservandi Sp. S. sunt Verbum, Sacra menta, & Preces: interim tamen cum magis infirmitatibus, operationes Spiritus S. in

creden-

credentibus sunt conjunctæ: quia primitias tantum Spiritus in hoc mundo habemus, Rom. 8: 23. Et interior homo renovatur de diè in diem 2. Cor. 4: 16. Cum ergo sentiuntur infirmitates, non protinus hasta erit militi Christiano abiicienda, aut desperandum; sed orandum, reluctandum, & ad perfectionem totis viribus contendendum, idque virtute Spiritus Sancti, qui infirmitatibus nostris succurrit Rom. 8: 26. Virtus Dei enim in infirmitate perficitur 2. Cor. 12: 9. Incredibile est, quantum hoc erit in agone futurum solarium, ô sit! Amen!

Viro Reverendo & Praclarissimo,

Dño M. E NEWALDO SUENONIO, S:S:æ Theologæ, in inclytâ Aboënsi Academiâ, Professori eximio, ut olim discipulo summæ nec fallentis spei, & postmodum collegæ honorando; ita nunc Genius meo perdilecto, inauguralem suam edenti disputationem pro Doctoratus in supremâ illâ facultatum Gradu; Quem unanimis eruditorum & maximorum Theologorum, tam in patrijs quam exoticis Academijs, consensus atq; applausus dudum designavit, adeoq; nunc Regia simul authoritas decrevit:

Credimus esse suo Dominum qui cuncta creavit  
Natu; Atq; is , mirum ! Trinitas & Unus agit.

Ethnicus id nescit ; furibundus Turca negatq;

Hic primus nostræ fidei articulus,  
Esse Deum Patrem vix insinuari ullus

Audet : Sed Gnatum, Flamen & usq; negant.  
Filius æternus , genitus ; quod Spiritus almus

Et siet egrediens . credimus indubie.  
Hoc dilectæ gener , Spirabile Numen ab alto ,

Est tibi discursus commoda materies.

Quævis id usq; tuos flamen quoq; dirigat actus !  
Jugiter & faveat tota sacrata trias !

Clara velut faustæ tribui tibi signa Magistri,  
Quondam ; Doctoris nunc quoq; fausta sient !

Acclamo saltem tritum , FELICITER ! usq;  
Augeat omnipotens sacra talenta tibi !

Hinc lineolis sincero ac paterno affectu magis quam  
polito versu animitus gratulari, ut debui  
ita volui

M I C H A E L GyllenStålpe 26,  
in Regio Dicasterio Adseffor.